





B. N.
309.

Xm. 195.

3

DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

II.

*Ex Capitib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Li-
bri primi Galeni de simplicium medica-
mentorum facultatibus deprompta:*

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Ar-
gentoratensium Universitate
proposita.

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-
reo, ac Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOHANNES JACOBUS CO-
MENTZIO, Cæsario-Lutherano.

✂(;)✂

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLVI.



PROBLEMA

I.



Uam utilitatem habeat cognitio facultatum medicamentorum simplicium? Quid sit medicamentum? Quid alimentum? Quotuplex medicamentum? Quid simplex? Quid compositum? Quid facultas? Quotuplex? Quæ illius causa? *Questio hæc simplex non est, sed omninò varia & multiplex, & ut Logici loquuntur, composita. Ideòque ad singula quesita ordine respondendum. Premittit autem Galenus eam propterea, ut, priusquam singulorum simplicium pharmacorum, quæ à vegetabilibus, animalibus, & mineralibus fossilibusque corporibus potissimum desumuntur, temperamenta & facultates explicet, illorum vocabulorum, quib. in hoc opere crebrò utetur, significata cognita sint atque perspecta.*

Habet verò cognitio facultatum medicamentorum simplicium duplicem præcipuè utilitatem: Vnam eis τὴν τῶν ποικίλων σύνθεσιν, ad variorum compositionem. Nam nisi explorata sit singularum simplicium, compositionem ingredien-

rium, vis atque potestas, artificiosè profectò com-
poni nequeunt. Alteram εἰς τὴν τῶν ἐυρημμένων
ἡδὴ χρῆσιν ἕκαστον, ad inventorum opportunum
usum. Incognitis enim simplicium facultatibus
& qualitatibus, sit, ut benè feliciterque usurpari
non possint. Prior utilitas, ipsa scil. medicami-
num compositio, tradita fuit libris de compositione
medicamentorum secundum genera & loca affecta:
posterior in methodo medendi. Vti enim medica-
mentis secundum artis præscriptum, nil est aliud,
quàm benè & artificiosè mederi. Hoc in opere
propositum est, simplicium vires & facultates ex-
ponere: prius autem significandum, quo pacto in-
vestigari debeant?

Est verò medicamentum, ut ad secundæ que-
stionis explicationem accedamus, omne id, quod
ἀλλοιωτικὸν ἐστὶ τῆς φύσεως, naturam nostram altera-
re valet. Alimentum, quod est ἀυξητικὸν τῆς ἐσίας,
substantiam corporis nostri augere potest. Vtrumq;
enim ἐν τῷ πρός τι, ad aliquid refertur.

Medicamentum simplex oppositum est com-
posito: & ἐστὶ τὸ κατὰ τὴν ἑαυτῆς φύσιν ἔχον εἰλικρινές,
quod secundum naturam suam sincerum est, nimi-
rùm nihil compositionis, sive admistionis ab arte
adeptum. Potest quidem habere partes ἑτερογενεῖς,
diversis præditas facultatibus, atque adeò σύνθεσις
quandam naturalem: sed artificialem nequaquam:
quia unum est & solitarium, idque solùm possidet,
quod à natura accepit. Compositum contrario
modo se habet.

Facu.

Facultas αἰτία τῆς ἐστὶν δραστικῆς, causa quaedam effectrix: h. e. ea vis atque potestas, qua medicamentum habile est ad aliquid agendum: v. g. ad calefaciendum, refrigerandum, siccandum, humectandum, purgandum &c.

Hæc autem partim est καὶ ἐν ἐπιπέσει, actu, partim ἐν τῷ μέλλειν, in tempore futuro. Actu quidem, ut facultas calefaciendi in igne, refrigerandi in glacie. In futuro autem, ut vis calefaciendi in pyrethro & castoreo: refrigerandi in hyoscyamo, mandragora, & alijs

Facultatem autem simplicibus inesse, qua vel purgare, vel vomitum ciere, vel sternutamenta movere, vel tussim excitare, aut sedare, vel aliam exercere actionem possint, nemo est qui ambigat. A posteriori enim hoc notum est: h. e. ab ipsa actione, qua in sensus incurrit: quæque nomen dat facultati, ut dicatur facultas purgatoria, vomitoria, sternutatoria, tussifica &c. At quæ hujus facultatis sit causa, quod principium, maximè controversum est. Alij enim profitentur, causam planè esse incognitam, ut Empirici Medici, & Philosophοι σκεπτικοί, qui in singulis hærebant, & de singulis dubitabant: quorum sectæ author erat Pyrrho: quemadmodum Galenus l. de histor. philosoph. testatur. Alij verò notam quidem esse dicebant: verùm inter se discrepabant plurimùm. Nam nonnulli causam referebant ad magnitudines, & figuras, & posituras corpusculorum, quæ ὄγκος καὶ τόπος appellabant. Quidam illam in quatuor elemen-

tis eorumque qualitatibus positam esse profiteban-
tur: quam sententiam Hippocrates & Galenus
sunt amplexi. Lib. I. C. I.

II.

Quæ rerum distinctiones adhibendæ sint,
ut sine errore in cognitionem facultatis sim-
plicium perveniamus? Ne fallamur in explica-
tione facultatum, sequentes adhibendæ sunt di-
stinctiones.

I. Subjecti, sive rei, ad quam dicitur: hoc est:
cujus ratione simplex aliquod hoc vel illud presta-
re perhibetur. Non enim si Cicuta hominem re-
frigerat, statim & sturnum refrigerabit: aut si
sturnum alit, etiam hominem alet. Pari ratione,
neque si Elleborus hominem purgat, illico & cotur-
nices purgabit: neque si has nutrire potest, conse-
quens statim est, ut & homines nutriat. Distinctæ
enim sunt res, & distincta subjecta, qua diligen-
ter discernenda.

II. Modi agendi. Nam quod fit per accidens
distinguendum ab eo, quod primario & per se con-
tingit. Frigida namque aqua calorem quando-
que revocat, cutem refrigerando, contrahendoque
ac condensando. Rursus calida aqua sæpenumerò
refrigerat. Verùm utrumque per accidens evenit.
Illud, quia calor ad interiora repellitur & revoca-
tur. Hoc, quia calefaciens humor digeritur.

III. Qualitatis rei, cujus facultas investigan-
da. Nam quedam qualitates sunt native, quedam
alienæ & ascititiæ. Quodcunque igitur simplex
in ju-

in iudicium vocare volueris, operam dabis, ut expertus sit qualitatibus aliena: ne nativam & propriam facultatem a scititia qualitas adulteret.

IV. Nutrimenti & alimenti. Hæc enim & ipsa distinguenda sunt, & in memoriam revocanda duo: primum, quod ambo ex eorum sint albo, quæ πρὸς τὴν dicuntur: nempe quod non simpliciter & absolute alimenta & medicamenta sint, sed respectu certi alicujus corporis: quemadmodum hoc antea exemplo Ellebori declaratum fuit. Iste enim neque simpliciter alimentum, neque simpliciter medicamentum est, sed respectu hominis medicamentum, respectu vero coturnicis alimentum. Corpus enim à corpore differt, & natura à natura, inquit Hippocrates l. de flatibus. Deinde, quod ambo sæpè περιμίαν ἰστίαν, circa eandem consistent substantiam.

V. Principiorum actionis & passionis. Quædam enim ὁλοῦς τῶν ἰστίαν, tota substantia, h. e. cæca & abdita qualitate in sese mutuo agunt & à se invicem patiuntur: quædam vero una duntaxat duabusve qualitatibus manifestis & elementaribus.

VI. Consistentiæ partium. Etenim alia simplicia sunt λεπτομερῆ tenuium partium: alia χυμερῆ, crassarum. Illa facile in tenues comminui possunt partes: hæc contra. Harum enim distinctionum omnium, quæ etiam libro 3. de temperam. tradite fuerunt, meminisse oportet, ut medicamentorum simplicium facultates explorari queant. L. I. c. 2. & 3.

III.

Quo pacto id, quod aliquid facit ex accidenti, discernatur ab illo, quod per se & propria operatur facultate? *Quicquid unum eundemque semper edit effectum, ab initio scilicet usque ad finem, quamdiu corpori applicatum est, id non ex accidenti, sed per se, & ex natura sua operatur, taleque esse dicitur, qualem perpetuo effectum producit. Quod autem taliter non agit, id per accidens solum suum præstat effectum. V. g. quod à principio usque ad finem refrigerat, per se & naturam suam frigidum est, non ex accidenti. Quod si hoc præcepto neglecto, ex posteriore solum, ac post ablationem de facultate aquæ judicare volueris, sæpenumero decipieris: & forsitan aliquando frigidam aquam non modo frigidam, sed & calidam possidere facultatem statues. Frigidam nimirum, cum refrigerare nostrum corpus senties: calidam vero, quando poris cutis constrictis calorem illam revocare animadvertes.* L. I. c. 3.

IV.

Ad quid potissimum respiciendum, cum de primis qualitatibus alicujus simplicis judicandum? *Quando animus est, inquirere, num simplex aliquod calidum sit, aut frigidum, humidum, aut siccum, perpetuo respiciendum est ad id, ad quod dicitur, nempe ad corpus humanum. Nam quod hoc primario ac per se calefacit, & non interveniente alio quopiam, id calidum statuendum: quod illud sic refrigerat, frigidum.* L. I. c. 2.

V. An

V.

An non etiam ad qualitates alias, v. g. ad crassitiem, lentorem, levitatem, gravitatem, colorem &c. respiciendum, cum de qualitatibus primis simplicium pronuntiandum? Respondet Galenus nequaquam. Alienæ enim qualitates fallunt. Declarat hoc aliquot exemplis. Nam si volueris investigare, num oleum calidum sit, aut frigidum, humidum, aut siccum, neque ad pinguedinem, neque ad lentorem, neque ad levitatem ejus, neque ad id, quod insecta interimat, oculorum aciem convertes. Non enim omnia lenta, neque omnia levia, neque omnia interimentia vel calida sunt, vel frigida. Rursus, si placuerit qualitates primas Rosæ albae, Cerussæ, Piperis albi, Cnici, Calcis, Ellebori albi, Nivis, Lactis, terræ Selinusæ, Asteris Samii &c. indagare, non coloris tibi habenda ratio est, qui idem est in hisce omnibus: sed effectus, quem primo & per se corpori nostro imprimunt. Non enim quæ rubra sunt, omnino calida sunt: neque quæ alba, omnino frigida. Nam Nix & Calx colore similima sunt, viribus autem pugnantißima; quam pugnantiã tactus dijudicat. Nivem enim frigidam, calcem contra calidam esse percipit. Ex eo igitur, quod quodlibet simplex in nostro corpore primo, per se, & semper operatur, æstimanda est illius qualitas & facultas. L. 1. c. 2.

VI.

Quo modo, quaque via & ratione qualitas

C 5

tas

tas aquæ activa investigetur? Dicitur fuit 8.23.
disp.1. Galenum libro 1. hujus operis exemplo Aqua
& Aceti demonstrare, quo pacto simplicium medi-
camentorum qualitates & facultates indagande
sint? Id nobis nunc ex Contextu præstandum est.
Proponit autem omnium primò Aquam, duabus de
causis: tum quòd omnibus hominibus usu sit com-
munissima, sanis pariter & agrotantibus: tum quòd
ad vitam maximè necessaria. Hujus facultas ut
exactè cognoscatur, primùm corpori εὐκράτω, tem-
perato applicanda est, sed neque ἐπισημως, insigni-
ter frigida, neque excellenter calida. Deinde ἀκρά-
τω, intemperato. Tertio illi, quod affectu aliquo
tenetur. Nam si temperato corpori fuerit admo-
ta, ἐν χρόνῳ πλείονι, plusculo tempore ipsum omni-
nò refrigerabit. Sin intemperato fuerit adhibi-
ta, citius quidem id refrigerabit, quod natura fue-
rit frigidius, tardiùs verò, quod extiterit calidius.
Omnia autè semper refrigerabit, licet quis non mul-
tis deinceps diebus, sed vel una pluribusve horis ea
utatur. Neque enim talis, quæ scil. moderatè fri-
gida est, in ullo horum corporum calorem revocare
poterit. Nam quæ summè frigida est, si corpori
ἐν ἀρχῇ ac juvenili pauculo tempore applicetur, ca-
loris molietur revocationem. Sin extenuato, ma-
cro, gracili, & senili, refrigerabit semper. Quin
etiam si ijs quoque, qui simplici morbo laborant, si-
ve calido, sive frigido, ejusmodi aqua admoveatur,
hos etiam manifestò refrigerabit. Oportet enim
ut affectus sit simplex, quò adhibita aqua ex sua
natur-

natura refrigeret, non ex accidente quopiam. Nam si sit compositus, contingit, ut usurpatum medicamen aliud faciat πρῶτος, aliud κατὰ συμβεβηκός. Exemplo sit phlegmone, quæ calidæ copiosæque fluxionis est soboles. Illi si medicamentum μείλιον calefaciens admoveatur, protinus partem affectam refrigerabit: at non per se, sed per accidens solum, quatenus superfluum humorem, qui phlegmonis proxima causa est, evacuat. In simplici autem affectu hoc fieri nequit. Ex dictis igitur hunc in modum argumentari licet. Quicquid per se & ex natura sua corpora temperata beneq; valentia, corpora item intemperata, sed adhuc in sanitatis latitudine comprehensa, corpora denique actu agrotantia, & simplici aliquo correpta morbo, semper refrigerat, id etiam per se & ex natura sua est frigidum. At hoc facit aqua mediocriter frigida. Ergo. L. I. c. 4.

VII.

An omnis in universum aqua frigida sit & refrigeret? Respondet Galenus, talem duntaxat esse aquam dulcem, potabilem, puram, meram atq; sinceram, quæ omnis alienæ substantiæ expers est: non sponte natam, non marinam, non arte factam, cui admista mineralia calefacientia. Nam sponte nata, græcè αὐλοποιῆς, quales sunt sulphureæ, bituminosæ, nitrosæ &c. calidæ sunt, quemadmodum effectus id declarant. Marine similiter, quia salsæ. Arte factæ itidem, siquidem vel Sulphur, vel Sal, vel Nitrum, vel Bitumen, vel Alumen illis fuerit permis-

permisum. Probatum hoc à posteriori & ab effectu. Etenim simplex aqua, quæ dulcis, & potabilis, si neque insigniter aut calida, aut frigida sit, sed velut ex Sole tepida, erysipelati affusa, nullam homini noxam adfert. Adfert autem, partemque erysipelate laborantem inflammat, quæ dictis mineralibus corporibus est imbuta. L. I. c. 4.

VIII.

Quænam aqua sit pura & sincera? Quæ primum Gustu est ἀποιος, h. e. omnis alieni saporis experta. Deinde, quæ Visu est clara, limpida & pellucida. Tertio, quæ Olfactu nullum habet extraneum odorem. Est verò talis aqua non πρὸς τὴν φύσιν, ad naturam sincera, planeque simplex, quemadmodum neque elementa quatuor, quæ apud nos sunt: sed tantum πρὸς τὴν αἰσθησιν, quo ad sensum & usum. Debent autem esse talia, h. e. pura, sincera, omnisque extraneæ valentisque qualitatis experta ea omnia medicamenta, quorum facultates indaganda. L. I. c. 5.

IX.

Habeatné Galenus rationem aliam, qua aquam dulcem & potabilem refrigerare ostendat? Habet: eamque ex Cerato refrigerante cujus compositionem aqua ingreditur, petitam. Conficitur autem ex cera purissima, oleo liquata. Vbi refrixerit, probe in mortario subigitur, tanta affusa aqua frigide copia, quantam capere valet ceratum. Hoc quia hypochondrijs superpositum refrigerat eos, qui in febribus uruntur: & quia omnem

omnem phlegmonem, herpes item, carbunculos,
erysipelata, phygethla, breviter, morbos omnes ca-
lidos refrigerat, sequitur, aquam dulcem ac pota-
bilem refrigerantis esse naturae. Contra, si Cera-
to isti, non hanc aquam, sed vel marinam, vel mu-
riam, vel aliam, quae Sulphure, Bitumine, Nitro,
Chalcantho, Misy, Chalcitide &c. imbuta est,
permisceas, non modò dictos affectus non auferes,
sed potius adaugebis, partesque affectas accendes.
L. I. c. 6.

X.

Utrum aqua dulcis & potabilis humida sit,
necne? Aquam istam humectare Galenus mul-
tis modis probat. I. quia ulcera, quae supra modum
squalida siccaque sunt, humida flaccidaque red-
dit: cum alia aqua ulcera desiccant. II. quia pi-
scatorum ulcera adeò videntur sicca, ac si forent
salita: contra eorum, qui in balneis versantur, hu-
mida flaccidaque apparent. III. quia si linamen-
tum madefactum imponere libeat, humida quidem
à potabili, sicca verò à marina mariaque fieri com-
perimus. IV. quia aquae aluminosae, quales sunt,
quae in Italia vocantur Albulae, cum alijs ulceribus
proficuae sunt, tùm verò quaecunque fluxionibus ten-
tantur, ea desiccant. V. quia ceterarum aquarum
nulla humectare valet. Ratio est: quia non sunt
aqua exactè, sed mista & adulterata: quoniam viri-
bus Aluminis, Chalcitidis, Salis, aut alterius alicujus
rei mineralis impregnata. Atque haec causa est,
quòd quaedam illarum ulcera quoque exasperent:
illa

illa scil. quæ sunt admodum acres atque mordaces.
VI. quia dulcis & potabilis aqua leniens est sitien-
bus remedium: aqua verò thermales, marine, mu-
ria, aut quæ arte ex mineralibus sunt factæ corpori-
bus, acerbiores etiam post se sitim relinquunt.
VII. quia dulcis aqua hydropicis adversissima est,
non pota solum, sed & pro balneo adhibita: salsæ
verò, nitrosæ, sulphuræ, & bituminosæ perutiles,
Cur? quia illa humectat: hæc siccant: non solum
naturales, sed etiam artificiosæ, quando aquæ dulci
admista sunt hæc fossilia corpora. L. 1. c. 7.

XI.

Num quemadmodum Aqua adventitium
nacta calorem semper humectat, ita & semper
calefaciat? Propria aquæ natura frigida est &
humida. Verum adventitium adeptæ calorem
calefacit quidem & humectat: at similiter ambo
prestare non potest. Summè namque humectat,
seu tepida sit, seu temperata, seu calidior etiam.
Summè verò non calefacit, nisi extremè ferveat.

Declarat hoc Galenus primùm in natura tem-
perata. Etenim si huic offeras aquam temperatè
calidam, eaque vel laves, vel partem aliquam per-
fundas, in ipso quidem perfusionis tempore calidio-
rem simul humidiorque se ipsa efficies. Quod si
deinde quiescas, nec postea corpus frigida usu con-
trahas, constipes, ac denses, paulò post se ipso frigi-
dius fieri conspicias. Ratio est: quia corpus rare-
factum frigidius redditur: quoniam calor natus
immoderatiùs transpiravit. Non tamen sicut calidæ
aqua

aquæ usus corpus tandem reddidit frigidius, ita & siccius facit.

Obijcies, videri omninò siccius efficere. I. quia aqua modicè calida poros rarefacit & aperit. II. quia corpus emollit. III. quia mollis corporis substantia facile liquatur & funditur. Necesse enim est, plusculum in ejusmodi dispositione evaporari. At vapor humor est extenuatus. Respondet Galenus, non ita habere rei veritatem. Nam molities, quam corpora à calidæ aquæ lotionibus acquirunt, solius humididatis proprium ac inseparabile signum est in animantis corpore. Ostendit hoc ulceratarum partium caro. Flaccida namque & algæ modo fluida efficitur ex aquæ calidæ perfusionibus: tametsi in ejusmodi affectionibus evacuetur, ut minùs tunc in se habeat humoris, quàm antea. Et videri possunt venia digni, qui per calidas lotiones, & aquæ moderatè calidæ perfusiones siccare corpus autumant. Similis enim horum est error illorum, qui persuasum habent, Senes Adolescentibus humidiores esse. Nam pluribus excrementis Senes redundant: *ἀστὴν πρὸν ἰσχυρὰ μὲν*, solidæ partes, itemq; partes organicæ Adolescentibus magis sunt humida. Similiter se res habet in perfusionibus & balneis, adedque omni irrigatione ex aqua calida. Nam omnes humores, qui in vasis aliisque inanibus spatijs continètur, exhauriuntur. Sed ipsa vasorum corpora, & universum genus carnosum seipso fit humidius. Hancque solam qualitatem dulcis aqua nunquam deponit. Neq; enim cùm fervens

vens corpora exurit, quæ usta sunt, sicca redduntur, velut illa, quæ ab igne sunt assa. Rursus, nec cum summam adeptam frigiditatem per totum diem, aut etiam tempore longiori, parti alicui affunditur, eam sicciorem reddit, tametsi rugosa atque admodum exilis relinquatur. Verum hæc eveniunt, quod qui in vasis alijs que spatij humor consistit, sit exhaustus. At partes solidæ nulla sua parte sicciore evadunt. Oportet enim toto hoc sermone istius meminisse regulæ, quod cujusq; medicamenti facultas colligenda sit ἐκ τῶν ἐναργῶς φαινομένων, ex evidenter apparentibus: quodque semper ad quod quid calidum, frigidum, humidum, aut siccum dicitur, ad id quoque æstimandum sit. L. I. c. 8.



COROLLARIA.

I.

AN dentur, ut rerum aliarum, cum primis Averò animalium, sic etiam plantarum Signaturæ? Neoterici quidam Scriptores, inter quos præcipui sunt Joann. Baptista Porta, & Othvaldus Crollius, agentem tuentur. Ille in φουτολογικῆ οὐτο libro octo libris comprehensa: hic in Tract. de Signaturis. Uterque acriter defendit, non posse qualitates & virtutes stirpium sola experientia, sensu & ratione investigari: Sed opus esse instrumento quarto, earum nimirum Signaturis, quæ
alias

etiam signa, signacula, notæ, characteres, characterismi, & indicia appellantur. Hasce verò Signaturas in prima creatione à DEO OPT. MAX. stirpibus esse impressas dicunt, quæ negari non possint NOS hac in parte illis adstipulamur: & ejusmodi Signaturas non solum in plantis, sed etiam in animalibus, & præcipue in homine, concedimus: de quibus Aristoteles in physiognomicis, Michaël Scotus, Joann. Padouanus, Rod. Goclenius jun. & Samuel Fuchsius egerunt. Sed Aristoteles, Scotus & Padouanus de physiognomonia & significationibus omnium humani corporis partium: Goclenius in specie de Cheiroposopia & Metoposopia solum; Fuchsius tantum de $\delta\phi\theta\alpha\lambda\mu\sigma\kappa\omicron\pi\iota\alpha$ & Metoposopia verba fecerunt. In hisce namque tractatibus conjecturas ex lineamentis corporis de Animi, Corporis, & Fortune bonis, vel malis, proponunt.

II.

Quid sint istæ plantarum Signaturæ? Ajunt, tacitos quasi sermones esse, qualitates & facultates stirpium nobis revelantes. Vel esse veluti specula quedam, qualitates & potestates earum nobis representantia. Ut enim in speculo quales res sint, cernimus: sic cum Signaturas stirpium, quæ in colore, figura, magnitudine, rebusque alijs consistunt, intuemur, quales sint, & quid præstare valeant, perspicimus. Et quemadmodum ex $\pi\rho\sigma\phi\omicron\sigma\iota\kappa\omicron$ hominis sermone de ingenio & moribus ejus conjecturam facere licet: ita ex Signaturis, tanquam ex ser-

D

mone

mone tacito, intelligimus, quid efficere stirpes
queant.

III.

Verumne, quod ex Signaturis istis certi ali-
quid de qualitatibus & viribus plantarum co-
gnoscere liceat? Libavius scribit, fortuitum esse,
si vires earum externae formae respondeant: in
Alchym. triumph. p. 537. & in typo art. Med. p. 125.
Qua in sententia etiam est Dodonæus pempt. I.
l. l. c. II. de stirp. inquiring, iudicium de facultati-
bus stirpium ex characteris dubium esse, fallax,
atque incertum. Evenire quidem aliquando, ut
vires Signaturis respondeant: sed non propterea
certo, tuto, aut perpetuo ex illis facultates cognosci
posse: verum adhibendam experientiam, quae nisi
Signaturis adstipuletur, Signaturis temere fiden-
dum non esse. Sed Porta & Crollius defendunt
mordicus, externas plantarum figuras virium in-
ternarum indices esse, & inter modos facultates
medicamentorum indagandi haud postremum lo-
cum obtinere. I. quia non frustra, aut fortuito à
Creatore sunt conditae. II. quia experientia do-
cet, stirpes, quae vel ratione coloris cum humoribus,
vel figura cum partibus nostri corporis aliquam ha-
bent similitudinem, humores illos evacuare, & in-
de natis aegritudinibus mederi: partes vero vel ro-
borare, vel vitia earum profligare. V. g. plantas,
quae floribus, radicibus, succis, alijsve partibus
crocei sunt coloris, bilem purgare & ictericis con-
ferre. Herbacei coloris prasinam evacuare bilem.
palli-

pallidi pallidam: attri fuscive coloris gignere melancholiam, valere contra Demoniacos, & opitulari morbis ex melancholia natis: albi coloris augere pituitam: rubri continuo esu cumulare sanguinem, illum purificare, enormiter fluentem sistere, & vulneribus auxiliari: misti coloris mistos educere humores. Lactarias stirpes ad lac valere, & sperma multiplicare. Seroso succo refertas serum excernere. Lac cogentes semen coagulare: lac dissolventes conceptum disperdere & contra venena pugnare. Sanguineas mēstrua ciere. Glaucci succi plenas urinam movere. Nodosas curare scrophulas & tubercula. Lachrymas arborum ad lachrymas & sudores conducere. Salivofas salivam prolicere. Carnosas & succulentas carnosos reddere homines, & opem ferre tabidis. Villosas prodesse alopecia laborantibus. Capillares producere pilos. Glabros & crispas plantarum caules psilothra esse, pilosque crispare. Pendulos gerentes flores, Gutta, sive Apoplexie commodare. Lapidea semina calculum frangere. Roridas herbas marasmo detētis subvenire. Excrescentias arborum excrescentes partes supprimere. Perfoliatas hernia succurrere. Quæ partibus humani corporis, v. g. capiti, dentibus, digitis, cordi, pulmonibus, lingua, hepatis, spleni, ventriculo, renibus, utero, genitalibus, testiculis, vesica &c. similes sunt, eas aut confortare, aut vitia illarum pellere. Quæ scorpianos representant, ictibus eorum remedio esse. Quæ serpentes, aut saltem macu-

lofas illorum pelles imitantur, morsus sanare ab iisdem inflictos. Quarum flores muscas & papilionas ostentant, fecunditati inservire. Longævas prorogare vitam: Contrarias eam abbreviare. Pingues impinguare: graciles & macilentas inducere maciem. Quæ corticem faciliè abijciunt, cutem mundare. Maculosas corporis oculorumque maculas eluere. Squamosas scabiem & omnis generis cutis foeditates eliminare. Perforatas & fistulosas vulneribus punctim impactis & fistulis praesidio esse. Aculeatas & Spinosas adversus punctorios dolores usurpari. Glutinosas, & quæ gummi, aut resinam fundunt, vulnerarias & κολλητικὰς esse. Tumentes tumores tollere. Steriles sterilitatem invehere. Plurimo semine abundantes semen augere humanum. Saxa perfrumpentes calculos frangere, & sic deinceps.

Verùm nos isti placito obijcimus primùm, Galenum passim in opere nostro non magni facere caratiocinia, quæ à coloribus, & similibus accidentibus petuntur: pluris contra aestimare experientiam καὶ τὰ ἐναργῆς φαινόμενα, quæ evidenter sensibus nostris sese offerunt. Illa enim plerunque: hæc nunquam fallere. II. quia ut plurimùm & in plerisque stirpibus quid Signature indigent, quidve sibi velint, nobis est incognitum. III. quia incertum, cujusnam finis gratiâ hæc Signature plantis sint tributa? Nam & alium finem habere, & aliam ob causam factæ atque concessæ esse possunt, quàm ut facultates earum prodant: nimirùm ob materiae necessitatem:

tatem: formatricis virtutis conditionem: commo-
 ditatem ipsarummet plantarum: cœli influentiam:
 & terræ, in qua nascuntur, proprietatem. Ideoq; de
 significatione Signaturarum varia hominum solent
 esse iudicia. IV. quia sæpè plures stirpes iisdem
 characterismis sunt insignitæ, quæ tamen non eas-
 dem, sed diversas, imò & aliquando planè contra-
 rias facultates obtinent: quemadmodum Dodo-
 næus loco citato exemplis quibusdam ostendit.
 V. quia non paucarum stirpium facultates Signa-
 turis omnino repugnant: velut idem ibidem qua-
 rundam stirpium exemplo declarat. VI. quia non
 rarò Signaturarum patroni ridiculas & ineptas,
 crinibusque attractas Signaturas proferunt: quas
 recensere possemus, nisi brevitatis hîc habenda esset
 ratio. VII. quia significatio de viribus stirpium
 ex Signaturis petita non videtur probatorum Medi-
 cinæ scriptorum, sed Incantatorum, & prestigia-
 torum, quales majori ex parte Ægyptij & Chal-
 dæi fuerunt, esse inventum. Non enim de quæstio-
 ne an sint Signaturæ, hic queritur. Esse enim iam
 præsupposuimus. Sed quæstio est, an Signaturæ istæ
 propterea plantis insint, ut nos de virtutibus illa-
 rum certiores reddant? Etsi autem vires planta-
 rum nonnunquam Signaturis respondeant: tamen
 sæpè etiam contrarium evenit. Ideoq; ijs solis fide-
 re minimè licet. Certior indagandi ratio requiri-
 tur, ipsa nimirum Experientia: quæ memoria est,
 sive comprehensio ejus, quod frequenter eodem mo-
 do visum: sive notio, quæ ex crebra similium even-

rum observatione est comparata. Id enim quod frequenter ac similiter, eadem rerum omnium concursione, non quod semel duntaxat evenit, experientiam parit. Nam Aristoteles docet l. 2. post. analyt. c. ult. memoriam oriri ex sensu. Ex memoria autem aliquoties repetita fieri experientiam. Nil enim experientiam esse aliud, quam multas, ut sic loquamur, memorias. Quod ipsum quoque l. 1. major. metaphys. c. 2. inculcat. Concludimus ergo, esse quidem in plantis Signaturas: & illas ex abundantia ad indagacionem virium plantarum adhiberi posse: sed preferendam esse experientiam, cui plus quam signaturis & rationibus tribuendum: eo quod optima sit certissimaque virium in plantis dijudicatrix. Nata enim est ex multiplici memoria: hac ex sensu ortum ducit, qui minime fallax esse solet.

IV.

Cur dictum supra, cum medicaminum facultates indagare animus est, earum periculum esse faciendum in corpore humano? Respondemus, causam esse, quia humanum corpus Medicinæ subjectum est, & illius gratia remedia inventa. Ideoque quid in illo prestare valeant, experiendum. Hinc quando dicimus, simplex aliquod esse alimentum, vel medicamentum, idque aut alterans, aut purgans, aut venenatum, intelligendum, tale esse, non simpliciter & absolute, respectu omnium animalium, sed tantum secundum quid, respectu corporis humani. Nam quod homini purgans est, alij anima-

animali alimentum esse potest. Exemplo sit Veratrum, sive Elleborus, qui nobis est vehementissimum καθαριστικόν, coturnicibus alimentum salutare. Exemplo sit semen Carthami, sive Cnici, quod psittacis alimentum præbet: nos autem purgare solet. Rursus, quod nobis est venenum, alijs animalibus alimonia est. Testatum hoc facit Cicuta, quæ ut Lucretius l. 5. scribit, homini est acre venenum, Barbigeras autem pecudes impinguat. Diverse enim animalium sunt natura, diversæq; ἰδιοσυμπάσια. Vnde Hippocrates l. de flatibus dicebat, differre Corpus à corpore, naturam à natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animalium generi eadem aut non conferunt, aut comoda sunt: sed sunt alia alijs magis convenientia.

V.

Cur Galenus dicat c. 9. & 21. l. 2. simpl. experientiam simplicium fieri debere in homine εὐκράτω, temperato? Causa est, quia tale corpus est regula & mensura, ad quam omnes medicamentorum actiones comparantur. Tale quoque est, ut recessus simplicium à mediocritate in qualitatibus primis facile sentiat. Licet autem exquisitè temperatum corpus forsitan non reperiat: reperitur tamē tale, quod ad illius naturam proximè accedit.

VI.

Cur idem iisdem in locis asseveret, examinanda simplicia etiam esse in corpore ægro? Ratio est: quia multa sunt simplicia, tum alterantia, tum purgantia, quæ sine noxa in benè con-

stitutis & temperatis corporibus examinari nequeunt. Tutò autem agris propinantur, ut affectus præter naturam profligentur. Quocirca etiam in agris experiri illa licet, ut quid & quantum præstare queant, innotescat. Potest adferri & ista ratio: quoniam medicamenta exploramus curationis gratia. At hæc in solis egrotantibus adhibetur. Quare si scopum nostrum attingere volumus, necesse est, ut exploratio instituatur in corpore egrotante.

VII.

Cur idem ibidem doceat, investigandi modum ineundum esse in agris, qui simplici morbo conflictantur? Hoc sit, ne experiundi ratio turbetur. Frustratur enim illa, si morbus sit cum morbo alio, vel cum causa complicatus. Adsit enim v. g. febris tertiana, cujus materia putrefacta sit in mesenterio, idque propter diuturnam venarum illius oppilationem, & adhibeatur in cura vel decoctum, vel aqua, vel syrupus de Cichorio, indeq; febris cesset, sanè nondum de Cichorij qualitate certi esse possumus: quoniam febris cessare potuit, vel quia calor ejus à Cichorio fuit extinctus: vel quia oppilatio venarum mesaraicarum ejusdem beneficio reserata. Incertum ergò, an Cichorium hoc præstiterit refrigerando, an aperiendo?

VIII.

Cur idem l. 3. de temperam c. 5. simplex medicamentum velit explorari in agris contrario morbo laborantibus? Ut cognoscatur, an facultas medicamenti essentialis sit, an accidentalis

ialis, probatio illius institui debet in duobus egrotantibus, contrario morbo correptis: in altero quidem calido, in altero verò frigido affectu detento. Iam si medicamentum per se egrotantem refrigeret, facultas refrigerandi erit illi essentialis: sin per accidens calefaciat, repellendo scil. calorem, & densando poros cutaneos, vis calefaciendi accidentalis erit. Utrùm verò per se, an per accidens refrigeret, vel calefaciat, ex tempore cognosces, inquit Galenus l. 3. de temper. c. 5. & l. 1. simpl. r. 3. Nam si simplex statim ab initio applicationis usque ad finem refrigeret, per se refrigerare dicitur, h. e. primùm, nulloque intercedente alio: sin calefaciat quidem à principio, sed non duret, per accidens, & interveniente alio calefacere perhibetur. Hujus rei Galenus ibidem illustre exemplum proponit ex aphor. 21. sect. 5. ubi Hipp. docet, quòd interdum frigida larga affusio tetanum, affectum frigidum, curet, sed in Iuvene iu-
o & xw & estate media. Hoc autem facit non per se, sed per accidens solùm, quia calorem revocat, pellitque ad interiora. Per se enim semper refrigerat: quia protinùs, ut affunditur, refrigerat, sensumq; frigoris invehit, & cutim quoq; refrigerat: hocque facit à principio usque ad finem: & tùm animata, tùm inanimata corpora refrigerat: & calorem nec in omni corpore, nec dùm affunditur inducit: sed tantùm in Iuvene quadrato, & media estate, & posteaquam ab affundendo est cessatum: hocque prestat non per se, sed ex acciden-

ti solùm. Etenim cutim refrigerat aqua: hac refrigerata, consequitur calor ad cutem ruentis repercussio ad interiora, & pororum cutis constipatio. His constipatis prohibetur calor ventilatio, & humorum perspiratio. Hoc facto, & calore ad interiora converso, succedit succorum, qui istic sunt, concoctio: tandemque calor augmentatio. Quemadmodum igitur frigus per se refrigerat, per accidens verò calefacit: sic vice versa calor per se calefacit, per accidens autem refrigerare solet. Pro exemplo Galenus nobis phlegmonem proponit. Cùm enim illa ex calida fluxione nascatur, propria quidem ejus curatio est vacuatio superflui humoris: vacuationi autem particula, quæ per phlegmonem calefacta est, refrigeratio succedit. Cumque duplex sit in partibus inflammatis affectus: unus in quantitate, ex redundantia humoris, qui influxit, h. e. tumor inflammatorius: alter in qualitate, qui consistit in dyscrasia calida, curationem prioris sequitur curatio posterioris, h. e. vacuato humore superfluo, qui in phlegmone sanguis est, calor sequitur extinctio. Itaque medicamenta, quæ materiam inflammationis evacuant, per accidens etiam inflammatam partem refrigerant.

IX.

Quæ igitur regulæ in universum observandæ, cùm simplicis alicujus facultates per Experimentiam investigandæ? Regula illa ex dictis constant. Placet tamen memoriæ causa illas ex Galeni locis citatis, nec nõ ex Avicennæ l. 2. tract.

1. cap.

I. cap. 3. ad quasdam classes reducere. Decet enim
Experientiam esse & τυχεσαν, ἀλλὰ διαπισμένην :
quia medicamenti vis exploranda, quod in corpus
humanum agit. Considerandum ergo & Agens,
& Patiens. Agens, uti dictum, est medicamentum,
quod examinandum, & cuius vires explorandæ. Pa-
tiens est Corpus humanum.

In agente medicamento observandi sunt se-
quentes Canones.

I. Ut liberum sit atque immune ab omni aliena
& adventitia qualitate. Hæc enim obscurat na-
tivam, nostrumque fallit iudicium. Acquirit au-
tem medicamentum alienam qualitatem secun-
dum Avicennæ doctrinam loco allegato, tribus mo-
dis. I. per alterationem, quando scil. in primis se-
cundisve qualitatibus mutatur. II. per corruptio-
nem & putrefactionem. III. per admistionem a-
liarum rerum. Licet autem Galenus cap. 4. l. I.
simpl. & l. 3. de temperam. c. 5. dicat, quæ corpori
applicanda & probanda sunt, neque nimis frigida,
neque excellenter calida esse debere, sed quasi tepi-
da, tamen per teporem non intelligit qualitatem
extraneam & ascititiam, sed quandam quasi με-
σότητα, qua medicamenta sunt actu omnis caloris
& frigoris expertia.

II. Ut actio medicamenti, quæ fit per se, distin-
guatur ab illa, quæ fit per accidens. Variare enim so-
lent actiones medicamentorum, inquit Avicenna.
Operantur namque vel statim à principio applica-
tionis; vel post applicationem. Et operantur aut

uno

uno eodemq; modo à principio usque ad finem: aut modo diverso. Si operantur uno eodemque modo, à principio usq; ad finem, signū est, facultatem istam illis esse innatam. Sin minùs, sed aliter in principio, aliter in fine agat, liquet, facultatē illis esse adventitiam. Exemplo nobis sint Piper, Zinziber, Cinnamonum &c. Hæc aromata à principio usq; ad finem nos calefaciunt. Proin concludimus, facultatem habere calefaciendi. Quod si medicamentum, cuius vires exploranda, alio agat modo in principio, alio in fine, dubia & anceps est experientia. Fieri namq; potest, ut prima operatio sit per se, secunda per accidens, aut contra. Etenim, Nix, v.g. statim nos refrigerat, sed paulò post calefacit. Propterea prima operatio est per se: secunda per accidens. E converso, aqua calefacta pota primo occursum ventriculum calefacit, paulò verò post refrigerat. Propterea prima actio accidentalis est, secunda essentialis. Ut verò sciamus, quæ essentialis, quæve accidentalis sit, Avicenna ex Galeno hoc documentum tradit. Quæ actio manet & perseverat, à principio usq; ad finem, etiam agente remoto, ea essentialis est & per se. Quæ verò non manet, accidentalis.

III. Ut medicamentum probetur, quod viribus sit par morbo, cui mederi debet. Nam si sit impar, morbum non tollet. Sin longè superius, alium introducet affectum.

In patiente corpore hæ sunt tenenda regulæ.

I. Ut investigatio facultatum fiat non in quovis corpore, sed tantum in humano. Avicenna dat rationem

tionem geminam. Vnam, quoniam fieri potest, ut medicamentum aliquod sit respectu hominis calidum: respectu verò leonis frigidum: quia calidius est homine, & frigidius leone. Alteram, quoniam unum medicamentum dici poterit noxium & salutare, respectu diversorum subjectorum. Cicuta enim salutaris est sturno: lethalis homini.

II. Vt exploratio instituat in corpore sano, σοφ. εὐκρίτων. Hoc enim omnium optimè excessus in qualitatibus sentit.

III. Vt eadem etiam fiat in corpore egro, sed simplici morbo laborante. Causa data fuit supra.

IV. Vt δοκιμασία celebretur in duobus morbis contrarijs. Nam si medicamentum utrisq; conferat, sanè alteri per se, alteri verò per accidens commo-
dabit. V. g. Scammonea, quæ calida, conducit morbo frigido, quia calefacit: conducit & febrili-
liosa, non calefaciendo, sed bilem evacuando. Frigido ergò morbo confert per se, sua caliditate: calido verò per accidens, expurgando ejus causam.

V. Vt indagatio non semel in uno tantùm subje-
cto exerceatur, sed sepius & in subjectis pluribus, temperamento, ætate, sexuq; similibus. Præceptum namq; Aristotelis est, l. 1. metaphys. c. 1. experientiam fieri ex memoria. Multas enim ejusdem rei memorias μίας ἐμπειρίας δύναμιν ἀπολαβεῖν, unius experientie vim efficere. Et in fine l. 2. post. analyt. inquit, memoriam oriri ex sensu: & ex memoria aliquoties repetita nasci experientiam. Nil enim unam esse experientiam, quàm multas memorias.

X. An

X.

An quæ ignem facile concipiunt, calida sint, habeantque vim igni proximam? Quæ pinguis & oleosa sunt flammam facile concipiunt, suntque calidæ naturæ, ut Sulphur, Bitumen, Pix &c. Est enim pingue, inquit Aristoteles l. 2. de part. au. c. 5. commune ignis & aeris, quæ elementa sunt calida, & in pinguium mixtione prædominantur. Verùm nõ omnia, quæ promptè accenduntur & ignem concipiunt, ut stipulæ, pili, plumæ &c. calidæ sunt. Inflammantur enim facile, non propter pinguem oleosamque naturam, sed propter tenuitatem, subtilitatem & raritatem substantiæ suæ. Sunt præterea res multæ, quæ non accenduntur, & combustioni admodum resistunt, ut aquæ sulphuræ, nitrosæ, bituminosæ, salsæ, & corpora metallica, scil. Chalcitis, Misy, Sory, Calx viva &c. & tamen igneam in se caliditatem habent. Quare neque omnia, quæ facile accenduntur, ignea sunt: neque omnia, quæ non accenduntur, frigida.

XI.

Sintne omnia, quæ concrescunt & coagulantur à frigore frigida: & quæ coagulantur à calore calida? Neutrũ verum est. Nã Oleum, Butyrũ, Mel, Cera flava, & multa alia, à frigore coeunt: verùm frigida non sunt. Rursus multa à calore concrescunt induranturque, ut lapides & tegulæ in fornacibus tegularijs, quæ non sunt calida.

XII.

Utrum quæ in locis calidis crescunt stirpes,
calidæ

calidæ sint: quæ in frigidis proveniunt, frigide?
Neq; hoc verum esse exempla docent plurima. Ete-
nim in locis, calidis nascuntur plantæ frigida: ut
Solanum, Acetosa, Lactuca, Portulaca, Melones, Cu-
cumeres, Cucurbita, Endivia, Cichoriū, Hordeū &c.
Et vice versa in frigidis calidæ oriuntur: ut Absin-
thium, Carduus benedictus, Fœniculum, Anisum,
Basilicum, Betonica, Fumaria, Chamamelum &c.
Imò in ipsis quoque aquarum undis calidæ generan-
tur stirpes: v. g. Hydropiper, Ranunculus aquatilis,
Nasturtium aquaticum, Apium palustre, Cochlea-
ria, Anagallis aquatica, Petasites &c.

XIII.

An plantæ unius ejusdemq; speciei viribus
& facultatibus inter se differant? Omnino: nimi-
rùm pro diversitate Regionum, Telluris, Situs, Tem-
poris, Culture, & Preparationis. Nam Regio calida
& æstiosa omnia profert acriora & vehementiora.
Frigidior & humidior hebetiora. Tellus arenosa
atq; sicca acriora quoq; edit, sicut & inculta atque
deserta. Frigida vero, palustris, & uliginosa, & quæ
multa cultura magnosq; labore subigitur, uberiora
& latiora, sed ignaviora. Quæ loca vergunt ad Au-
strū, præstantiores producant stirpes, quàm quæ ad
Aquilonem spectant. Vere & æstate media, dum
multo succo, eoque maturo & benè cocto, stirpes tur-
gent, validiores sunt, quàm in fine Autumni. Hoc
enim ferè sunt effecta. Frigidarū humidarumq; stir-
piū vis obtusior est, cum jam planè inaruerint. Cali-
darum vero siccarumq; invalescit. Qui agri probè
colun-

luntur, & quæ vites ab infelici lolio diligenter re-
purgantur, stercorantur, ablaqueantur, putantur,
pedantur, pampinantur, perticis stabiliuntur, mes-
sem uberem, vindemiamq; letam & copiosam nobis
offerunt. Steriles contra sunt agri, & nil nisi car-
duos & tribulos producant, qui negliguntur. Vineæ
quoq; infelices sunt & infœcunda, quarum cultura
intermittitur. Quid præparatio, coctio scil. in-
fusio, trituration, lotio, ustio &c. possit, quantumque
vires simplicium tum minuatur, tum augeatur, notius
est, quam ut explicari debeat.

XIV.

An nullorum simplicium vires sine usu &
Experientia cognosci queant? Sive occultæ eo-
rum facultates, sive manifestæ indagandæ sint, sem-
per opus Experientia esse videtur. Et sola quidem
Experientia explorantur facultates occultæ: Ratione
autem & Experientia manifestæ. Verum in harum quoq;
investigatione plus tribuendum Experientia quam
Rationi. Illa enim certa est: hæc sæpè fallit. Multa, in-
quit Fernelius l. 4. m. m. cap. 3. solitaria meditatio &
probabilis ratio, suadet, quæ usus & Experientia coar-
guit. Refragatur igitur non raro Experientia Rationi,
& sæpè ostendit id, cui Ratio adversatur. Quæ Ratione
inveniuntur, Sensu & Experientia stabilenda sunt. Hæc
consentiente, recipienda sunt: dissentiente, reijcienda.
Contra, eorum, quæ Experientia inventa, Ratio quæren-
da est. Hæc si sit in promptu, eò de medicamento facultate
erimus certiores. Sin lateat, aut etiam reluctetur, Expe-
rientia & Sensus sequendus. Verum non uni fidendum
experimento, sed periculum in multis faciendum subje-
ctis, & quidem temperamento, ætate, sexu, viribus alijs-
que circumstantijs similibus, ut supra quoq; monuimus.

F I N I S.

21a 2663

ULB Halle 3
006 549 195



1009

MA

6



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|-------------|-------------|--------------|---------------|------------|----------------|-------|-------------|-------|
| Light Blue | Light Cyan | Light Green | Light Yellow | Light Red | Light Magenta | White | Light Gray | Black |
| Medium Blue | Medium Cyan | Medium Green | Medium Yellow | Medium Red | Medium Magenta | White | Medium Gray | Black |
| Dark Blue | Dark Cyan | Dark Green | Dark Yellow | Dark Red | Dark Magenta | White | Dark Gray | Black |

M
M
3
B. Li-
lica-
:
ta Ar-
ZIO,
SORE
afa-
C O.
no.
P E R I.

